SPECTATISSIME DOMINE DECANE,
VIR
NOBILISSIME, AMPLISSIME ATQUE EXCELLENTISSIME,
DOMINE ET COLLEGA HONORATISSIME,

Non detinebo TE pluribus; quia, ~~nec~~ quod laetor, is TIBI nunc commendandus est honorum Philosophicorum Candidatus, qui copiosa commendatione haudquaquam indiget. Ambit enim ea, qua decet, modestia suae industriae praemia iuuenis Pereximius, Johannes Conradus Spoerlius, Norimbergensis: cuius singularis ingenii facultas, et probitas morum, et laudabiles in studiis progressus, nobis aliisque bonarum mentium aestimatoribus optimam spem afferunt. Quamobrem, SPECTATISSIME DOMINE DECANE, facies opus tua humanitate dignissimum, si Spoerlium, iuuenem optimum, propediem Consultissimo Amplissimoque huius Academiae Dn. ProCancellario commendaueris de meliori nota, ut ei ad ea, quae a legibus definiuntur, experimenta facienda aditum faciat; non

318v

dubito, quin SPOERLIUS nostram expectationem sit expleturus. Faxit DEUS, ut omnia bene feliciterque cedant; cuius bonitati ac tutelae TE Tuosque commendo. Vale.

Spectatissimae EXCELLENTIAE T.
Domine et Collega Honoratissime,

Dab. e Museo,
d. 26 Apr. A. cIↄ Iↄccxx.

omni fide addictissimus,

L. H. Nicolai P.P.

SPECTATISSIMO DN. DECANO
ORDINIS PHILOSOPHICI
VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET EXCELLEN-
TISSIMO, DN. JACOBO VVILHELMO
FEVERLINO, Metaphyſices et Logices
Profeſſori Publico celeberrimo, Domino
et Collegae ſuo Honoratiſſimo etc.